



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Panegyricvs, Die Natali Academiae Theodorianae  
Paderbornensis, Reuerendissimo, atq[ue] Illustrissimo  
Principi, ac Domino, Theodoro, Episcopo Ecclesiae  
Paderbornensis, S. R. I. Principi, Fvndatori Eivs ...**

**Horrion, Johann**

**Paderbornæ, 1616**

Capvt V. Vvestphali natura propensi & habiles ad doctrinam.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14243**

## VWestphali natura propensi, & habiles ad doctrinam.

**E**Quidem sic sentio : quantum inter frugiferas arbores, & eas intersit, quæ præter foliorum speciem, & vmbra nihil afferunt, tantum ea gymnasia quæ sciendi studia, cum linguarum cognitione coniungunt, ijs præstare, quæ soli poliendo sermoni, sunt consecrata. Neque id nostrates fugit, quorum vt quisque est ingeniosissimus, ita non contentus his minoribus artibus, ad sublimiorum rerum disciplinas natiuo quodam impetu, quando domi facultas non datur, in longinquas terras rapitur. quod enim est in Germania, aut superioribus annis fuit paullò florentius gymnasium? quis doctorum hominum cœtus? quis deniq; discendi, ac proficiendi locus, qui non VWestphalorum sit ingenijs illustratus? Illi verò quos rei familiaris inopia patrios fines egredi non finit, non satis illa auiditate, qua in his litteris percipiendis sunt versati, quarum erat domi copia, declararunt, quid in ijs studijs essent facturi, quæ continent naturale quoddam pabulum præstantium animorum? Quibus tametsi VWestphalia adhuc publicas sedes nullas posuerat, tamen quàm crebri in ea sunt, & celebres ludi? qui concursus, ardorq; discantium? quæ certamina æqualium? quæ cohortationes, & gratulationes parentum? quis labor, & assiduitas magistrorum? Academias profecto commemorare possum, quæ celebritate, & frequentia nullo modò sint cum puerilibus VWestphaliæ ludis comparandæ. Quem enim horum nominare possis, qui vastitatem, & solitudinem, vt illæ, metuant? quò, dilabentibus ciuium  
popu-

populariumque liberis, externos, & peregrinos auditores prope pretio conducere necesse sit? qui fucata libertatis illecebris, & indecoris immunitatibus ad pelliciendam iuventutem indigeat? VVestphalorum ea semper fuit discendi cupiditas, vt & suis gymnasijs complendis soli sufficiant, & plurimum inde redundet in externa. neque verò multum prensandi parentes, vt filios suos ad studia incumbere patiantur, quippe cum ipsi quoque ruri, atque in malibus nati, qui nullam doctrinae partem attigerunt, non temerè quemquam filiorum litterarum prorsus expertem velint. Itaque diu alijs est prius studendum, quàm studia amore esse digna cognoscant: VVestphalos jam inde ab ipsis incunabulis quidam ad discendum genius exstimulat. vt vel inde coniectura liceat assequi, quantus sit in VVestphalia prouentus illustrium ingeniorum. Est enim ingenium quidam mentis oculus, qui quo magis luce gaudet, atq; exire gestit è tenebris, hoc est sanior, & ad cernendum, ac perspicendum acutior. Eiusmodi cum tanta sit in VVestphalia multitudo, quibus, Illustrissime Princeps, velut inusitatum jubar optatam hodierno die lucem affers, non est metuendum ne vnquam desint, qui ad eam accipiendam, & fruendam anhelent, seq; ob immortale hoc patriæ decus æternas tibi gratias debere fateantur.

## C A P V T VI.

Quibus rebus VVestphali ad progressum in litteris adiuuentur.

**N**Eque verò minore contentione VVestphali studia persequi solent, quam arripuerint. est enim huic genti cognata incredibilis quædam industria, quæ exterorum quoque hominum præconium,